

Predestinatio siue prouidencia diuina I  
cum fonte primo

Tolle maliciam  
fratrum Ioseph et inuidiam

simul perimes dispensationem Dei,  
et  
que in Egypto pro  
salute omnium gencium gesta sunt.

Si Ioseph non uenditur, sompnum ←  
pharaonis non exponitur, →

nemo frumenta in Egypto congregabit,

peribit Egyptus et  
finitime regiones,

et ipse Israel et semen eius querens  
panem Egyptum non ingreditur,  
nec egredietur

in mirabilibus Dei

nec fient uirtutes quas fecit per  
Moysen et Aaron: nemo mare Rubrum  
siccis pedibus transibit,  
non dabitur manna  
nec aqua de petra,

nec lex in monte Sinai,

et terram promissionis nullus intrabit.

Origenes ibidem (super illud Numeri  
XXII.: Stetit angelus Domini contra  
Balaam).

Tolle malitiam  
fratrum eius, tolle inuidiam,  
tolle omne illud parricidale commentum  
quo saeuierunt in fratrem, usquequo  
uenderent eum: si haec auferas, uide  
quantam  
simul peremeris dispensationem Dei:  
simul enim abscondes cuncta illa  
quae apud Aegyptum per Ioseph pro  
salute omnium gesta sunt.

Non fuisset interpretatio somni  
Pharaonis, si per inuidiam fratrum non  
fuisset Ioseph distractus et uenisset in  
Aegyptum,  
nemo intellexisset quae Deus reuelauerat  
regi,  
nemo frumenta congregasset in Aegypto,  
nemo necessitatem famis sapienti  
prouisione curasset;  
perisset Aegyptus, perissent et  
finitimae regiones  
fame, interisset  
etiam ipse Israel, et semen eius quaerens  
panes Aegyptum non fuisset ingressum,  
nec egressi  
ex ea fuissent filii Israel  
cum mirabilibus Domini;  
nusquam plagae in Aegyptios  
neque uirtutes illae, quas fecit Deus per  
Moysen et Aaron; nemo mare Rubrum  
siccis uestigiis incessisset;  
cibum mannae mortalis uita nescisset;  
nulla de sequenti petra aquarum  
fluenta prorupissent;  
lex a Deo hominibus data non esset;  
quae in Exodo, quae in Leuitico, in  
Numeris etiam et Deuteronomio  
referuntur, ad humani generis scientiam  
non uenissent; hereditatem certe  
paternam  
et terram repromissionis nullus intrasset.

Origenes, *In Numeros homeliae*, 14, 2, 2  
(SC 442, L. Doutreleau ed., pp.166, 168,  
ll.71-92).